

eius conventum parte ex una et dominum Johannem de Greten presbyterum saecularem parte ex altera, nos Bodo decanus ecclesiae Mersburgensis recepimus iudicialiter sine debito terminandam. In qua non solum per dictum dominum praepositum immo etiam per nos ex officio nostro multociens petitum fuerit a dicto domino Johanne de Greten, ut praesentationem dicti domini praepositi de Lipzk et eius conventus vel antecessorum suorum, per quam accessum altaris et commissionem curae animarum dicti hospitalis obtinuit vel alia iura vel munimenta ad praemissa sibi suffragari valentia si quae haberet in medium produceret, quod et ipse minime facere curavit titulum suae possessionis saltim quoad praesentationem probando, et alias servatis servandis in huiusmodi causa nobis minime liquere potuit, quod dictus dominus Johannes hospitale memoratum et redditus eiusdem ut beneficium ecclesiasticum quamdiu ageret in humanis poterat de iure aliquo possidere. Visis igitur et intellectis hinc inde propositis ac meritis ipsius causae cum debita diligentia recensitis matura ac sollempni nobiscum deliberatione praehabita, communicato ad hoc iurisperitorum consilio et assensu, nostram diffinitivam sententiam in huiusmodi causa per officialem nostrum propter defectum nostrum proprium ferri fecimus per omnia in haec verba: Christi nomine invocato pro tribunali sedentes, habentes prae oculis solum deum de consilio sapientum pronunciamus diffinimus decernimus et per nostram diffinitivam sententiam declaramus, ipsam institutionem et curae animarum commissionem ad hospitale sancti Georgii extra muros oppidi Lipzk per nos factam de domino Johanne de Greten presbytero esse ac fuisse irritam atque nullam, unde ipsam et omnia abinde subsecuta revocamus ac annullamus ac irrita ac nulla praesentibus declaramus. Lecta et lata est haec nostra sententia anno domini M^o CCC^o LXXII^o in vigilia beati Johannis baptistae. Qua sententia lecta praedictus dominus decanus me notarium infrascriptum requisivit, ut super praemissis omnibus et singulis unum vel plura conficerem instrumenta. Acta sunt haec anno indictione die mense hora loco et pontificatu quibus supra praesentibus honorabilibus et discretis viris dominis Petro praeposito, Ottone custode, Johanne de Embeke vicario ecclesiae Mersburgensis praedictae ac aliis quam pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes dictus Lupi clericus Maguntinensis publicus imperiali auctoritate notarius etc.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Siegel des Decans an einem Pergamentstreifen.

No. 134. 1373. 7. Nov.

Markgraf Wilhelm bringt unter Zuzichung des Bischofs Friedrich von Merseburg auf Ersuchen des Klosters und des Raths die zwischen beiden Theilen bestehenden Irrungen zum Austrag.

Wir Wilhelm von gots¹⁾ gnaden lantgraue in Durngen²⁾, maregraue czu Mizzen³⁾, in dem Ostirlande vnde czu Landisperg, grafe czu Orlamunde vnde here des

1) gocz B. 2) Düringen B. 3) vnde maregraue czu Mützen B.